



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitvlvm II. Literas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

## CAPITVLVM II.

## Literas.

## PARAPHRASIS.

In causis beneficialibus, decimilibus, & aliis spiritualibus, de Calumnia jurari non solet. quia tales causæ non secundum legum rigorem, sed æquitate canonica discuti & defini solent, at enim in sacris Canonibus non reperitur præceptum, sed nec Ecclesiæ consuetudine receptum, ut in eiusmodi causis de Calumnia juretur.

## SUMMARIVM.

1. In causis spiritualibus olim tantum juramentum de veritate præstabatur.
2. Postea autem constitutum fuit, ut in illis etiam præstaretur juramentum Calumniæ.
3. Illud non tantum ad ea, quæ jurans scit esse vera, sed etiam ad ea, quæ credit esse vera se extendit, adeoque in hoc non verè distinguitur à juramento calumniæ.

**N**Otandum vnicum. Tempore Honorij II. in causis spiritualibus non rejiciebatur juramentum propter calumniam, sed tantum de veritate dicenda. *c. Dudum. 54. de Elect.* Rationem dare debemus, quia causæ spirituales, cum propriè Ecclesiasticæ sint, quam fieri potest simpliciter, & non secundum legum solemnitates tractandæ sunt; juramentum autem de veritate longè simplicius est, & antiquius, quippe id solum complectens, quod jurans vera dicere velit; At verò juramentum calumniæ plura alia capitula ex legum inuentione complectitur, & hoc potissimum, quod actor existimet se bonam causam habere; Reus autem, se jure resistere. Id verò longè plus, & implicatius quid est, quam si simpliciter aliquis juret, quod verum dicere velit, cum fieri etiam possit, ut dum vera allegat, tamen indebita petat, atque ob Judicis vel adversarij simplicitatem consequatur. Accedit, quod non deceat Clericos præsertim in spiritualibus causis juramenta multiplicare, quandoqui-

dem in personis sacris suspicio fraudis abesse debet, ideòque etiam non jurantibus fides habenda sit, quare *Innoc. hic n. 2.* ait, non in omnibus spiritualibus causis olim de veritate juratum fuisse, sed si ob aliquam causam judicis visum fuit necessarium. Verum tamen quia temporis progressu, crescente hominum cupiditate animaduersum fuit, quod etiam in spiritualibus causis, aliqui calumniandi animo litem mouerent, constitutum fuit, ut in his quoque de calumnia juramentum edatur, sicut & de veritate dicenda. *Cap. 1. §. ult. h. t. in 6. Clem. saepe. de verb. signif.*

Quæritur, utrum vera sit doctrina *Innoc. III. hic n. 1. Durandi in speculo. h. t. Bald. in l. 2. §. quod obseruari. C. h. t.* Juramentum Calumniæ etiam in eo differre à juramento veritatis, quod hoc comprehendat tantum scientiam, videl. quod jurans dicere velit, quæ vera esse scit; sed juramentum Calumniæ comprehendat etiam credulitatem, quod jurans dicere velit, quæ vera esse scit aut credit, seu putat. *Resp.* Licet hæc doctrina communis sit, arbitrator tamen parua esse utilitatis, constat enim, quod tum Actor tum Reus non de omnibus articulis exactam scientiam habere possit, sed frequenter opinionem tantum seu credulitatem; tum verò si vel suo motu, vel giudice interrogante dicat ita esse, profectò veritatem dicit, si credit ita esse; falsitatem autem, si non credit ita esse; consequenter juramentum de veritate dicenda etiam ad credulitatem se extendit, ut docet *Io. de Lignano apud Panorm. n. 12.* Consequenter tamen est, ut judex exprimat & petat jurari, quod jurans vera dicere velit, aut quæ vera credit, secundum doctrinam *Hosliensis, apud Anchar. cit. §. ult.*

## CAPITVLVM III.

## In pertractandis.

## PARAPHRASIS.

Juramentum Calumniæ non semper Principales personæ præstant, at interdum Syndici seu Oeconomi, qui in animam suam jurant, dummodo causæ & negotij ignari non sint,

SVM-